PROVINCIA DI TORINO
BIBLIOTECA
Legato Anselmi
OA. - b
595

E. C. FERRINI

DE IURE SEPULCRORUM

APUD ROMANOS

(Estratto dall' Archivio Giuridico)

BONONIÆ
FORMIS FAVÆ ET GARAGNANI
MDCCCLXXXIII

PROVINCIA DI TORINO
BIBLIOTECA

DE IURE SEPULCRORUM APUD ROMANOS

Praefatio.

Nemo est sane qui nesciat quanta fuerit apud Romanos erga defunctorum manes reverentia; nec mirum id prorsus videtur, putabant enim ipsos manes inquietos tristesque pererrare donec corpora ipsorum terra operirentur, vel saltem eorum cineres in monumento reponerentur (1). Illud potius est mirandum maximam fuisse hac de re Graecorum ac Romanorum sententiarum similitudo, potest enim dici eadem fere apud utrosque optinuisse. Quare factum est ut versus illos nobilissimos quibus Elpenoris anima Ulissem precatur ne se insepultum relinquat (Od. XI. 51 sq.), summo iure Vergilius in suo carmine imitatus sit. Palinurus enim Aeneam ducem enixe rogat:

> Eripe me his inuicte malis, aut tu mihi terram
> inice, namque potes, portusque require Velinos. (6, 365)

Hanc fuisse potissimum causam cur tantam adhibuerint Romani erga defunctos curam etiam praestantissimo Ciceronis loco probatur (Tusc. 1, 12): « unum illud erat insitum priscis — — esse in morte sensum neque excessu uitae sic deleri hominem, ut funditus interiret; idque cum multis aliis rebus tum *e pontificio iure* et *cerimoniis sepulcrorum* intellegi licet: quas maximis ingeniis praediti nec tanta

(1) Hoc etiam in casu os ex combusto cadavere selectum seu resectum, antequam cremaretur, inhumabatur: eousque familia funesta manebat (Cic. De leg. 2, 22, 57). Humari autem antiquitus apud Romanos plerumque cadavera solebant, idque in patriciis diutius optinuit. E patriciis Corneliis primus Sulla igni voluit cremari.

cura coluissent nec violatos tam inexpiabili religione sanxissent, nisi haereret in eorum mentibus mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quandam quasi migrationem cet ». —

Inde patet ius sepulcrorum a religione ipsa originem hausisse atque iuris praesertim sacri seu pontificii partem quandam fuisse. Cicero igitur in libris, quos *de legibus* composuit, in eo loco ubi de iure sacro data opera disserit, eam quoque legem inseruit « *deorum manium iura sancta sunto* » (De leg. 2, 9, 22); idemque alibi fatetur « *totam huius iuris compositionem pontificalem esse* » (ib. 2, 22, 55 cf. 23, 58). Ex ipsius autem testimonio satis constat pleraque quae ad ius sepulcrorum referrentur in duodecim tabulis fuisse constituta, ita ut a iure pontificio ad ius civile quodammodo transirent (ib. 2, 23, 58). Quare factum est ut iurisconsulti et praetores, demum etiam imperatores, operam impense navarent ut haec iura tuerentur, neque nobis, utpote qui a iurisconsultorum castris profecti simus, absurdi aliquid moliri videmur, cum ea quae hac de re passim apud veteres ac praesertim apud iurisconsultos leguntur colligere atque pro viribus pertractare instituamus. Nemo tamen crediderit ius sepulcrorum cum etiam civili tuitione gauderet, omnino fuisse a religione semotum atque pontificum auctoritate subtractum. Quinimo in dubiis rebus pontificum collegium consuli solebat (Cic. De leg. 2, 23, 58); atque etiam postremis romanae dicionis temporibus sine pontificum decreto corpus vel ossa aliquo iniuria inlata effodere atque eruere nefas erat. Haec iam Labeo docuit ac Tribunianus comprobavit (D. 11, 7, 8 pr.): nec moramur cum ipse dicat hoc et Principis iussu fieri posse, constat enim Principem Pontificem Maximum fuisse, ita ut hinc quae diximus confirmentur (1).

Item Ulpianus docet, cum locus religiosus reficiendus sit, Pontifices explorare debere quatenus, salva religione, desiderio reficiendi operis medendum sit (D. 11, 8, 5, 1). Illud tamen prae oculis habendum est eatenus tantum romanorum religionem patere quatenus et imperii fines: unde fit ut hostium sepulcra ipsis religiosa non sint (D. 47, 12, 4) atque cum loca ab hostibus capiantur, omnia sepulcra religiosa esse desinant, et iure tantum postliminii ad

(1) Haec sibi vòlebat Labeo. Tribunianus aut imprudens recepit aut aliam significationem attribuit. — Ex huiuscemodi locis, qui in Digestis occurrunt, illud ortum vehementer suspicor, quod Tribunianus apud Byzantinos scriptores ἑλλήν audiat.

pristinam revocentur religionem (D. 11. 7. 36). Cives qui in patriam ipsam saeviunt, deos ipsos atque divina iura gravissime violant (quae et apud Graecos optinuisse Lycurgus in oratione in Leocratem habita auctor est, cf. Cap. 1 eiusd.) — minime ergo, si concidant, lugendi sunt, sepulcrorumque iure expertes evadunt (D. 11. 7. 35).

Quae a remotissimis usque temporibus sunt repetenda, nam etiam in homericis carminibus legendum est ita in eos qui quolibet modo patriam ipsam laesissent esse animadversum. (Il. II, 391. — XIV, 348. — Antig. v. 198 sq. — Lyc. Κατὰ Λεωκ. p. 164. — cf. et dissert. nostram « Quid conferat ad iur. cr. hist. hom. hes. poem. stud. » p. 14-15). Quorum, cum antiquitatis plena sint, meminisse iuvabit nam et multo serius vestigia deprehendenda sunt. Ulpianus enim ait hoc in maiestatis damnatos aliorumque in rempublicam criminum cautum fuisse: « eorum in quos animadvertitur corpora non aliter sepeliuntur quam si fuerit petitum et permissum, *et nonnumquam non permittitur maxime maiestatis causa damnatorum* » (D. 48, 24, 1). Et merito quidem; nam patria religione carere debebat qui in patriam ipsam deliquisset, et eiusmodi mihi videtur sibi velle Ulpianus cum dicat: « proximum sacrilegio crimen est quod maiestatis dicitur » (48, 4, 1).

Quibus praemissis, ad rem ipsam veniamus, atque primum de religiosis dispiciamus, eorum enim notio totius commentationis veluti fundamentum est.

Caput I.

De religiosis atque de eorum iure.

Uti omnibus liquet ex iure romano quaedam res alicuius in bonis sunt (seu singulorum seu universitatis seu civitatis) quaedam nullius (Inst. 2, 1 pr.). Nullius autem sunt res sacrae, sanctae ac religiosae (ib. 2, 1, 7). Res sacrae sunt quae rite dis consecratae sunt, res sanctae sunt quae patriorum numinum tutela maxime gaudent, res demum religiosae (seu uno verbo religiosa cf. Theoph. τὰ relegiosa) sunt quae dis manibus relinquuntur (Gai. 2, 4). Praesertim vero religiosa audiunt loca in quae mortuus inlatus sit, immo veteres atque novos iuris auctores cursim perlegenti haec tantum eo sub nomine venire videntur (Gai. 2. 6. — Inst. 2, 1, 9 cum

Theoph. — Dig. 1, 8, 6, 4. — Puchta Pand.co p. 53 cet.). Sed si rem accuratius perpenderimus in aliam sententiam ut abeamus necesse erit. Ac revera coronae et aurum et cetera denique quae cum mortuis sepulta fuisse constat nonne iuri humano omnino erepta, dis autem manibus relicta esse videntur? Huc accedit in lege Iulia « de peculatu et de sacrilegis et de residuis » tum pecuniam sacram et publicam, tum *et religiosam* nominari (D. 48, 13, 1). Marcianus autem in Institutionibus suis (D. 48, 13, 4, 5) docet thensaurum, quod in monumento inveniatur, *religiosum non esse*, non enim, ait, *religiosum fieri potest quod sepeliri est prohibitum*, ne autem thensaurus sepeliretur, mandatis principalibus cautum erat. Patet ergo ceteras res, quas sepelire licebat, religiosas esse factas, immo et pecuniam ipsam postremis reïpublicae atque primis imperii temporibus eodem esse iure gavisam. Item lapides monumenti licet remoti sint religiosi manent cf. D. 6, 1, 43. Fieri etiam potest ut eadem res sacra simul et religiosa sit, veluti templa, in quibus sepulcra sunt Fest. M. p. 289 **Rudorff** *Gromatische Institutionen* 2, 461.

Nunc est videndum an cuilibet liceat in quemcumque locum mortuum inferre, vel saltem an, mortuo inlato, locus omnino religiosus fiat. — Ante omnia meminisse oportet nullum locum religiosum fieri posse, qui romana sub dicione non sit: ideo si quis vel civis romanus in exilio aut apud hostes decesserit, ibique sepultus fuerit, locus *purus* manet. Huc accedit nemini licere locum facere religiosum, nisi dominus sit. In alienum tamen locum concedente domino licet inferre, et licet postea dominus ratum habuerit quam mortuus inlatus sit, religiosus locus fit, et ita Inst. 2, 1, 9 legendum est. Nam quod veteres editiones habent « non habuerit » ita est absurdum, ut confutatione prorsus non egeat; non me tamen piget Theophili Antecessoris graecam versionem referre, quae omnes dubitationes penitus tollat: εἰ δὲ καὶ παρὰ γνώμην (τοῦ δεσπ.) ἀπέδετο (τὸ λείψανον), μαθὼν δὲ τοῦτο κύριον ἡγήσατο τὸ πραχθὲν ὁ δεσπότης, καὶοὕτως γίνεται relegíosos ὁ τόπος' (1). In communem autem locum, invito socio, nemini licet inferre. Nec fructuario licet locum religiosum facere, substantiam enim rei, quae in usufructu

(1) De ortographica ratione quam secuti sumus cf. Rendiconti dell'Ist. Lomb. XVI, 63. Theophili quae laudamus ad editionis nostrae normam expressimus, quae nunc Berolini typis excuditur.

est, salvam esse oportet, nec salva esse videtur cum humano iuri eripiatur atque res nullius fiat (cf. D. 11, 5, 2, 7). Hinc ratio petenda est quod in provinciis nemo locum religiosum facere posset, nam provinciarum agri dominium vel apud P. Romanum (in stipendiariis provinciis) vel apud Caesarem (in tributariis provinciis) erat; singuli autem possessionem et usumfructum tantum habere censebantur. Quamvis tamen ea loca religiosa non essent, pro religiosis habebantur (cf. Gai. 2, 7). Sed cum omnis differentia inter provincialia atque italica praedia Iustiniani constitutione (Cod. 7, 31, 1. cf. Inst. 2, 1, 40. atque ib. Theoph.) sublata fuisset, patet ubicumque inter imperii fines eadem optinere debuisse (1).

Nec dominus ipse locum religiosum faciendi semper potestatem habet. Nam si mortuum inferat, quam funerari sua non referat, h. e. cuius funus illi non pertineat, locus non fit religiosus, quod et Gaius ait (2, 6). Item si dominus mortuum in locum inferat, cuius usus-fructus alii pertineat; nequit enim dominus fructuarii condicionem deteriorem facere. Magis est tamen, ut illi hoc liceat si fructuarius consentiat vel si eius corpus inferat, qui usumfructum legaverit, cum in alium locum inferri tam opportune non posset. Eadem sunt dicenda de loco qui servit, ni ille consentiat cuius praedio servitus debetur; sed si non minus commode servitute per alium locum uti potest (puta itineris vel actus) non videtur servitutis impediendae causa id fieri et idcirco locus religiosus fit. Quae cum ex Ulpiani libris ad Edictum (D. 11, 7, 2) tum e praecipuis regulis quae de servitutibus tradi solent sunt deducenda. — Summo itaque iure haec constituta sunt, nam, ut habet Iavolenus, (D. 8, 4, 4) id quod humani iuris esse desiit servitutem non recipit, nec potest cuipiam servitus adimi, ni ipse consentiat. Non tamen licet ullam condicionem, quae ad sepulcrorum ius pertineat, adicere, ut si quis caveat, ut ad certam altitudinem monumentum aedificetur, vel ut certus hominum numerus in uno loco humetur. Nam quae dis Manibus relicta sunt humano arbitrio subtracta videntur. Is qui pigneri locum dedit, mortuum suum inferre et ipse mortuus inferri potest; alii vero hoc concedere nequit, quamvis utilitatis causa receptum sit hoc etiam in casu locum religiosum fieri.

(1) Licet sepulcra in provinciis pro religiosis haberentur, non tanta erat iuris pontificii in iisdem observantia, sicuti ex epistula Traiani (ad. Plin. 68 ed. Keil) colligere licet, quae provinciale sepulcrum respicit.

Heres tamen, licet hereditatem nondum adierit, patremfamilias mortuum in locum qui huius fuerat inferre potest, nec videtur, ut sapienter Ulpianus monuit (D. 11, 7, 4) pro herede gerere, maxime si illum in locum inferat, quem testator sibi destinaverit. Sed et extraneo hoc facere licet, heres enim saepe adhuc latet vel id agere renuit; veritus ne pro herede gerere videatur: voluntatem enim testatoris quisque adimplere videtur, qui in eius locum corpus inferat; maximopere autem est cavendum ne corpora diu iaceant insepulta. Sed etsi in legatum locum corpus inlatum sit, fit inlatione locus religiosus, si modo in alium tam opportune inferri non potuit. Non item potest heres alium quemdam mortuum in fundum legatum inferre, etiam si locus sub condicione legatus sit (D. 11, 8, 34).

Qui locum dedit vel ultro concessit ut in suum locum mortuum inferretur etiam viam ad locum concessisse videtur, tacite enim et hoc in illo quodammodo continetur. Via ad sepulcrum *iter aditum ambitum* continebat, ut a plurisque inscriptionibus patet (Or. 4085, 4373, 4392, ect.): interdum et *actus* nominatur (Or. 4379). Cum fundus vendatur in quo sepulcrum est, vel in quo locum sepulcri venditor sibi retineat, eo iure utitur, ut venditori ius loci adeundi servetur; lege enim praediorum vendundorum cavetur « ut ad sepulcra quae in fundis sunt item eius aditus ambitus funeri faciendi (sacrificii suppl. ex cj. Mommsen) sit » (D. 47, 12, 5). Saepius legitur in titulis sepulcrorum testatoris vel sepulcri conditoris iussus, ut ad loci religiosi perpetuum usum haec maneant. Item qui ius sui sepulcri utendi alicui concessit solet in titulo etiam ius itineris ad sepulcrum per sua praedia ei dare. Cf. inscriptiones quae secuntur.

a) — praecepit ut ad id sepulcrum hortus — — cedat et itum aditum ambitum sacrificiique faciundi causa *proximis eius* recte licet Or. 4373.

b) — C. Plarius — se vibo cessit Plariae libertae suae - adcumbitorium cum conditibum (h. e. conditivo = sepulcro) *ita ut liceat ei* itum aditum ambitum *humandumve* (sic) sacrificandum causa habere. Or. 4511.

c) — et in eo mon. itum actum ambitum inlationem mortuum mortuam (sic) inferre coronare sacrificare sacrificium facere *ei ad quem ea res pertinet pertinebit* recte liceto. Or. 4382.

Qui autem sepulcrum suum sibi tantum reservare volebat etiam iter ceteris vetare solebat: sicut et qui alicui ius sepulcri adimebat; cf.

— et posteris excepto M. Antonio Athenione quem veto in eo mon. aditum habere neque iter aditum introitum ullum in eo habere, neque sepulturae causa reliquias eius posterorumque eius inferri (1). Or. 1175.

Plerumque testator loca alia eaque satis ampla ut sepulcri usui inserviant addit, puta silvam ut inde ligna sumantur ad sacrificia facienda, agrum in quo est fons, ita ut heredes quae ad defunctorum cultum pertineant commode exsequi possint. Cf. Or. 4085 (tabernam ac cisternam sepulcro addit) 4373 (hortum addit). Item in Corpore Inscr. Graec. (Böckh T. II, n. 3281) est de ϑωρακείῳ (h. e. hortus maceria cinctus) atque τῷ κατεπῳκοδομημένῳ σωλαρίῳ sermo. Haec loca plerumque religiosa sunt, nisi sepulcri conditor ea pura servare voluerit. Res enim mihi ab eius voluntate pendere videtur. Cf. C. I. L. t. V. p. I. n. 2915 « ..hunc locum monimentumque dis Manibus do legoque »; item Papinianus (D. 18, 1, 73. 1) de « locis *puris* intra maceriam *servatis* » loquitur: et in titulo I. N. 2646 (Bruns F. 245) « locum purum in quo nulla sepulcra ...*coniuncta* apparent ».Ceterum luculentissimum est Frontini testimonium (De controversiis, l. 1. ed. Lachmann 1, 22) « habent enim et moesilea *iuris sui hortorum modos circum iacentes aut* **praescriptum** *agri finem* ». Quam rem Luebbertus (Commentationes pontificales p. 58) in dubium vocat sed perperam, ut nemo non videt. De modo eiusmodi locorum controversia erat, quae ad gromaticos pertinebat (Frontin. l. c. Rudorff Grom. Inst. 2, 460) (2).

In locum publicum nulli licet privatorum mortuum inferre; quod si id dolo fiat Praetor iudicium dat; item cautum est, ut qui intulit extra ordinem plectatur, modica tamen coercitione (D. 11, 7, 8, 2). Interdum tamen factum est ut aliquibus viris de republica optime meritis locus sepulturae in publico daretur. Hoc perraro tamen accidit ut ex Cic. Phil. 9, 6, 14 patet. En inscriptionem praestantissimam quam in Corpore inscriptionum latinarum (T. 1, n. 635) legere est:

(1) Ratio iussus asperioris haec est: « ideo quia me pos multas iniurias parentem sibi amnegaverit ».

(2) Hinc videtur non longe a veritate aberrasse qui in Encyclopaedia rei antiquariae quam edidit Pauly haec scripsit: Die Inschriften zeigten sehr häufig an wie gross der zum Grabe gehörende, ebenfalls wie das sepulcrum *als res religiosa geltende* Raum oder Area sind. Tom. VI. p. 1058.

C. Poplicio L. f. Bibulo aed. pl. honoris
virtutisque caussa senatus
consulto populique iussu locus
monumento quo ipse postereique
eius inferrentur publice datus est.

Inde docemur ad eiusmodi beneficium praeter Senatus decretum populi iussum necessarium fuisse; cum autem ager publicus neque viritanae neque colonariae adsignationis causa recte alienaretur nisi lege de ea re lata, locumque publicum ne ad sacros quidem usus destinare liceret, nisi populo de ea re rogato, item lege opus fuisse consentaneum est ad agrum publicum sepulcri faciendi causa privato homini donandum; caduntque omnino eiusmodi decreta inter privilegia, quae licet Senatus saepe concesserit, populo praeterito, tamen summo iure sine populi iussu perfici non potuerunt. Haec fere Mommsenus adnotavit (C. I. L. T. 1, p. 185).

Potest fieri, ut mortuus in locum sacrum vel sanctum inferatur, puta in lucum qui deo cuidam rite consecratum est, vel in muros civitatis. Qua de re scriptorum sententiae omnino nos deficiunt sed illud omni procul dubitatione constare videtur locum religiosum non fieri, mortuum eiciendum esse, eumque qui hoc patrare ausus sit, si modo dolo fecit, extra ordinem puniendum. Item, in fallor, interdictum « *ne quid in loco sacro fiat* » competit, ait enim Praetor: « *In loco sacro facere inue eum immittere quid veto* » (D. 43, 6, 1 pr.), quod et de rebus sanctis Hermogenianus interpretatus est (D. 43, 6, 2). Illud etiam dici posse crediderim: qui in publicum sacrum mortuum dolo malo intulerit, crimini sacrilegii obnoxium esse (D. 48, 13, 4, 2 cet.). Qui in privatum sacrum mortuum inferre tentaverit, gravius quam qui in alienum locum purum hoc fecerit est puniendus (arg. a. Dig. 48, 13, 11, 1), sed de hoc inferius plura.

Potest etiam fieri ut ille, cui licet mortuum aliquo inferre, iniuria prohibeatur. Praetor ei actionem in factum dat necnon interdictum (D. 11, 7, 8, 5), etiam si non ipse sed eius procurator prohibeatur, quoniam et hoc in casu ipse quodammodo prohiberi videtur. Interdictum est palam prohibitorium, Praetor ait enim: « quo quave illi mortuum inferre invito te ius est, quominus illi eo eave mortuum inferre ibique sepelire liceat vim fieri veto » (D. 11, 7, 9, 11, 8, 1, 1-4). Interdictum videtur Heimbachio perpetuum fuisse, nam nullo in loco contrarium legitur; ipse addit damni re-

fectionem per hoc interdictum optineri non posse, nam ad hoc actio in factum data est. (in Weiske's Rechtslexicon Bd. V. S. 563. f.).

Alterum interdictum Praetor constituit: Quo illi ius est, invito te, mortuum inferre, quominus illi in eo loco sepulcrum sine dolo malo aedificare liceat vim fieri veto, (D. 11, 8, 1, 5). Hoc interdicto et ille tenetur qui sepulcrum vel labens restaurari vel elegantius exornari impediat. (D. 11, 8, 1, 9). Nullus dubito quin et damni refectionem hoc interdicto consequi actor possit: illud tamen incertum mihi videtur an perpetuum sit necne. Nam si quis dixerit hoc interdictum ideo constitutum quia religionis interest monumenta extrui et exornari (D. 11, 8, 1, 6) atque interdicta quae ad publicam pertineant potissimum utilitatem esse perpetua (cf. D. 43, 8, 2, 44), non absurde loqui videretur. Sed cum hoc interdictum praecipue privatorum commoda tueatur neque alterius interdicti ἀναλογία adeo tuta sit, in eam libentius sententiam eo, interdictum annuum esse. Non legitur actio in factum dari solere: id tamen veri similius est. Si tamen quis propius aedes meas sepulcrum aedificet, opus novum nuntiare possum, sed facto opere nullam habebo actionem, nisi quod vi aut clam (D. 11, 8, 3).

Actio autem in factum, de qua nobis iam sermo fuit, nunc est accuratius dispicienda. Qui interdicto statim uti non vult, mortuum alio inferre potest, ac deinde in factum adversus prohibentem agere. Actione autem id adipisci potest, cuius interest, atque in hanc computationem loci pretium cadit, in quem mortum inferre est prohibitus, itemque pretium illius loci, in quem corpus inferre coactus est, non enim aliter eum religiosum fecisset (1). Quae actio neque heredi neque in heredem a plerisque datur, qua de re Gaius vehementi admiratione adficitur, cum ullam pretiosam rationem invenire nequeat. Nonne enim et heredis refert pretium loci accipere quem, ni defunctus prohibitus fuisset, veluti purum in suos usus convertere potuisset? Gaii igitur sententia est heredi quoque et in heredem actionem competere, cum pecuniariae quantitatis ratio in eam deducatur. Qui etiam auctor est eiusmodi actionem perpetuo dari, quo potissimum Heimbachius nititur, ut probet etiam interdictum, quod de ea re proponitur, perpetuum esse — id autem non cuilibet fortasse probabitur.

(1) Haec Gaius D. 11, 7, 9. Sed si quis mortuum alio in loco deposuerit eo animo ut deinceps alio transferret, religiosum locum non facit (D. 11, 7, 40); non enim sepultus mortuus dici potest qui temporis gratia depositus est.

Iam vidimus in quaenam loca liceat mortuum inferre. Nunc dispiciendum est quid iuris sit, si quis mortuum in privatum locum intulerit, cum ei non liceret vel specialiter non esset concessum. Si ea quae hac de re in Digestis continentur diligenter perlegerimus, facile constabit non omnes casus pariter esse pertractandos, sed potius distinguendum esse, utrum qui intulit dominus sit necne. Ius enim mortuum inferendi dominium quodammodo sequitur, atque ex ipsius natura oriri videtur. Quare fit ut si dominus in locum suum mortuum inferat, cum hoc ei non liceat, puta quia fundi usufructus alii cuidam pertineat vel quia servitus, quae vicino praedio competit, difficilior efficiatur, locum religiosum nequaquam faciat, sed nec fructuario nec vicini praedii domino eum prohibere liceat. Possunt quidem postea in factum agere et id, cuius interest, adipisci; non tamen eum cogere, ut mortuum transferat (D. 11. 7. 43 — Weisk. R. L. V, 563). Sin autem dominus prohibeatur, poterit ipse vel interdicto experiri, vel in factum agere, ut iam nobis sermo fuit, et hoc etiam Papiniano probatur. — Si contra in locum alterius purum mortuus vel ossa mortui inlata esse dicantur, actione in factum qui intulit tenebitur, quam Praetor in edicto suo proposuit (D. 11. 7. 2. 2), quin et pecuniariae poenae subicietur (eod. l.). Verba Edicti « in locum alterius » ita intellegenda sunt, ut Ulpiano animadvertit, ut domino tantum, non et bonae fidei possessori haec actio competat. Is autem qui intulit vel mortuum tollere vel loci pretium prestare cogitur per in factum actionem, quae heredi et in heredem competit (D. 11, 7. 7 pr.). Sed dominus nequit corpus inlatum effodere atque eicere, ni decretum pontificum vel Principis interveniat, nam aliter iniuriarum actione teneretur (11. 7. 8 pr. D.). Quae actio semper heredi defuncti competit; nam si iniuria post aditam hereditatem facta est, heredi ipsi quodammodo facta videtur, si autem ante aditam hereditatem, magis heredi tati et sic per hereditatem heredi adquiritur actio. Haec habet Ulpianus (D. 4 7. 10. 1. 8): quia, ut ipse ait, spectat ad existimationem nostram si cadaveri eius, cui heredes extitimus, iniuria facta fuit (h. t. 1. 5). Quod si nullus heres est, bonorum possessor agere potest. Nemo tamen crediderit etiam actio sepulcri violati competere, nullum enim sepulcrum esse intellegitur, ubi mortuus iniuria sepultus est.

Haec fere de modis quibus loca religiosa fiunt dicenda erant; superest ut breviter de religiosorum iure generatim dispiciamus, quae enim ad sepulcrorum ac monumentorum tutelam pertinent in-

ferius exponenda sunt. Uti omnibus liquet, locus qui religiosus fit res nullius esse incipit, nemo enim eum in dominio vel possessione habere potest. Unde Gaius satis commode docet haec loca *dis manibus esse relicta,* quod in Institutionibus suis Iustinianus manifesta ratione repetere noluit. Dii manes autem animae ipsae defunctorum sunt, quare et Cicero in libris quos de legibus conscripsit (2, 9, 22) hoc etiam constituendum putavit « sepoltos leto datos diuos habento ». Res igitur nullius sunt, eorum nempe qui in hac vita degunt, sed in defuncti potestate atque tutela quodammodo sunt. Hoc etiam facile crediderim sibi voluisse Ulpianum, cum ita scripserit: « naturaliter enim videtur ad mortuum pertinere locus in quem infertur » (D. 11. 7. 4). Haec si teneas, sane intelleges cur res, quae nullius sit in bonis, tanta gaudeat iuris sollicitudine et cur in illos qui in eam offendant tam graviter animadvertatur.

Locus igitur religiosus nec venire nec donari neque alio quoquo modo alienari potest neque ab aliquo usucapi, uti et consentaneum est. Loci religiosi emptio intellegitur si ab ignorante emitur (D. 28. 1. 4), nam licet emptio ipsa non teneat, ex empto tamen aduersus venditorem experietur, ut consequatur quod interfuit eius ne deciperetur (D. 18. 1. 62. 1). Vehementer tamen suspicor haec interpolata esse; probabilius enim Pomponius et Modestinus de *actione in factum* locuti erant, quam Praetor ei, ad quem ea res pertinebat, dabat, quaeque et in heredem competebat, cum quasi ex empto actionem contineret (cf. D. 11. 7. 8. 1). Cum autem legamus de venditionibus vel donationibus sepulcrorum, hoc tantum de loculis qui nondum religiosi facti sunt intellegere oportet (Rein in Pauly Realenc. der cl. Alterth. Tom. IV p. 1058); item cenotaphia quae, ut diui Fratres rescripserunt (D. 1. 8. 6. 5 — 1. 8. 7 — 11. 7. 6. 1) religiosa non sunt, venire ac donari possunt (1).

Saepius qui sepulcra condebant in titulis omnino vetabant locum sepulturae vendere vel alio modo alienare atque poenam in eum qui hoc fecisset statuebant. Quae autem natura huius poenae sit inferius disputabimus, nunc exempla quaedam veluti specimen afferemus. Non semper tamen poena addebatur atque hisce in casibus videtur prorsus inutile fuisse id in titulo vetare, de quo iam ius

(1) Religiosa cenotaphia esse quidam crediderant (D. 1. 8. 6. 5) auctoritate Vergilii (Aen. 3, 303 ib. 6, 505) mirum quantum decepti « tunc egomet *tumulum* Rhaeteo in litore *inanem* constitui et magna *manes* ter uoce uocaui ».

pontificium atque Praetorum edicta cavebant; perpendendum est tamen solere testatorem vel sepulturae conditorem etiam aliorum locorum, quae religiosa non essent, sepulcri tamen commodo inservirent, alienationem prohibere.

1. = Or. 4388 = D. M. A Larcius adiutor fecit monumentum sibi libertis libertabusque posterisque eorum. Hoc monumentum veto venire veto donari.

2. = Or. 4386 = — hoc monum. cum aedificio neque — veniet neque donabitur neque pignori obligatur sed nec ullo modo abalienabitur ne de nomine exeat familiae suae.

3. = Or. 7331 = — ne veneat ne fiduciare liceat nec de nomine exire *secundum sententias pontificum* —.

4. = Or. 4427 = « si quis hoc mon. vendere vel donare voluerit — — dabit poenae nomine arkae pontif. H-S C̄. n(ummûm) et ei cui donatum vel venditum fuerit eadem poena tenebitur.

5. = Or. 4431 = neque ulli liquebit (l. lic -) locationis causa in annis C quandoque transvendere, quotsi qui adversus it fecerint, eorum bona (?!) pertinere debebunt ad rempublicam Brundisinorum.

6. = Corp. Inscr. Lat. Tom. VI. P. 1 p. 817 n. 3554 = — et praecipit heredibus ne quis extraneum nulli ponere vel venundare vel fiduciare vel donum dare vel ullo modo alienare: nam post haec praecepta si quis inventus fuerit hoc fecisse inferat sacro Fisco H-S centum milia nummum —.

Liceat nunc pauca addere ex Corpore Inscriptionum Graecarum excerpta, quae tamen ad ius romanum manifeste pertinent.

7. = C. I. Gr. T. II p. 789 n. 3385 = Οὔλπιος Ἰούλιος — ἠγόρασα τὸ ἠρῷον — ῥηδινὸς — ἔχοντος τὴν ἐξουσίαν (sic) — πωλῆσαί τε ἐξ αὐτῶν · εἰ δέ τις τολμήσει τι τοιοῦτο ποῆσαι δώσει μητρὶ Θεῶν Σιπυληνῇ X ε, (denaria V m. n.).

8. C. I. Gr. T. II p. 757 n. 3276 = — καὶ μὴ ἐξέστω τούτοις (ius sepulcri habentibus) ἀπαλλοτριῶσαι τὸ μνημεῖον μηδὲ τοῖς ἐγγόνοις αὐτῶν εἰ δὲ μὴ ἀποτεισάτω ὁ παρὰ ταῦτα ποιῆσας τῇ Ζμυρναίων (sic) πόλει δισχείλια πεντακόσια καὶ τὸ πραθὲν ἔστω ἄκυρον.

9. = C. I. Gr. ib. n. 3281 = μηδενὸς ἔχοντος ἐξουσίαν ἀπαλλοτριῶσαί τι — — ἐὰν δέ τις τολμήσει ἀπαλλοτριῶσαί τι ἐξ αὐτῶν ὠδήποτε τρόπῳ ἀποτείσει τῷ σεμνοτάτῳ συνεδρίῳ τῶν ἐν Σμύρνῃ γερόντων ἀργυρίου δηνάρια διοχίλια πενταχόσια. —

Cum tamen homines plerique avaritia permoti haud dubitave-

rint res religiosas « et emere et distrahere », Gordianus imperator Zenoni rescripsit eos esse severius puniendos, ait enim « tametsi iure venditio non subsistat, tamen laesae religionis inciderunt in crimen » C. 9. 19. 1.

Illud quoque videtur animadvertendum, ne tractatio haec de religiosis nimis imperfecta appareat, loca religiosa intra civitatis maenia fieri nequire, nam territorium civitatis dis superis est sacrum ita ut si quis contra ea fecerit, sacra civitatis funestentur, et ideo extra ordinem puniendus sit (Paul. Rec. Sen. 1. 21. 2). Iam in XII tabulis cautum erat: « hominem mortuum in urbe ne sepelito » (Cic. De leg. 2. 23. 58 — Schöll T. X fr. 1). Quod ad claros viros quos in urbe post XII t. sepultos esse constat, vix pretiosa ratio reddi potest, ni Tullium sequare qui ait hosce viros fortitudinis virtutisque causa legibus quodammodo esse solutos. Ac revera cum satis liqueat plerisque viris optime de patria meritis magna esse concessa privilegia, vita adhuc manente, non est cur et post eorum mortem idem fieri potuisse infitias eamus. Quidquid autem de hoc sit, illud mihi omnino est persuasum pontificalis decreti opus fuisse ut illi religione solverentur.

Item legibus XII t. cautum est ne quis mortuum inferat bustumve adiciat propius LX ped. aedes alienas, invito domino (Cic. De leg. 2. 24. 61 — Schöll T. X fr. 10). Si tamen dominus consenserit, nequit postea prohibere quominus alius mortuus inferatur vel monumentum aedificetur (D. 11. 8. 3. 1). Ille etiam consentire videtur qui sciens et prudens non obstet.

Itaque apud Paulum (R. Sent. 1. 21. 12) legimus nec iuxta monumentum habitandi ius esse, attactu enim conversationis humanae piaculum admittitur, et qui contra fecerit pro qualitate personae multandum esse.

NOTA.

Ad ea quae iam disputavimus de mortuo in locum sacrum inlato placuit nunc inscriptionem quandam addere, cuius iam memoria fugerat. Lex est quae Lucerina vocatur, et quamvis singularem prorsus casum respiciat, tamen quippe quae specimen quoddam exhibere possit omittenda non videtur. Textum sequimur quod dedit Brunsius (Fontes iuris rom. ant. [4] p. 44). — In hoce loucarid stircus ne quis fundatid, *neue cadauer proiecitad*, neve parentatid. Sei quis arvorsu haec faxit [in] ium quis uolet pro ioudicatod numum I (L?) manum iniectio estod. seive magisteratus volet moltare (li)cetod. —
loucarid = est pro *luco* = h. e. sacrum nemus. Cetera quamvis corrupta ac pessumdata facile intellegi possunt.

Caput II.

De funeribus eorumque sumptibus.

Iam XII t. cautum fuisse quem quibusque ritibus funerare oporteret e Tullii luculentissimo testimonio constat. Neque ea est mens nostra ut ritus omnes quibus iusta defunctis persolvere apud Romanos consuetudo erat exponamus; haec enim cum iam saepius ab eruditissimis viris qui rei romanae antiquariae operam dant copiose ac commodissime pertractata sint, tum etiam a proposito nostro aliena videntur, quod potissimum ad iura explananda et dilucidanda pertinet.

Primum videndum est an testator aliquem designaverit qui ei mortuo funus faciat: qui designatus est tantum haec curare potest, ni recuset vel nequeat; si autem recusat, nulla poena tenetur. Ac revera nemo invitus alieni negotii gestionem suscipere cogitur. Sed si ei aliquid pro hoc emolumentum relictum est et ipse testatoris voluntati non pareat ab eo repellitur. (D. 11. 7. 12. 4): quod si pecuniam acceperit ac funus non duxerit de dolo actionem in eum esse dandam Mela scripsit, Ulpiano et extra ordinem eum compellendum esse placuit (D. 11. 7. 14. 2). Si quis amplius erogaverit, quam testator voluerit, id non recte ab herede negotiorum gestorum iudicio petet (cf. D. 3. 5. 31. 4).

Heres tamen eum prohibere potest, qui a testatore designatus est, ut ipse funus ducat, nulla enim poena in eum est constituta, quamvis eum non ita recte agere d. Marcus rescripserit (D. 11. 7. 14. 14) — Si testator de ea re nil cavit, ad scriptos heredes res contingit, si nemo autem scriptus est, ad legitimos heredes vel ad bonorum possessores quosque suo ordine quo succedunt. Cum nemo sit qui hoc facere possit, praetor vel magistratus curare debent, ut ex pecunia quae in hereditate est vel quae rebus hereditariis distractis colligi potest, pro defuncti dignitate ac facultatibus funeretur. Ceterum quisque potest ad funerandum accedere; illud enim diligenter cavendum est ne diu funus moretur.

Funeris sumptus pro facultatibus ac dignitate defuncti arbitratur. Ius romanum semper eo nisum est, ut huiusmodi sumptus modici fierent; iam Cicero praescripserat (De leg. 2. 9. 22) « sumptum in ollos

(leto datos) luctumque minuunto »; atque haec potissimum duodecim tabularum cura fuit (T. X). Tullius ipse auctor est (Leg. 2. 23. 59) quae in XII t. minuendi sumtus lamentationisque funebris sunt de Solonis fere legibus esse translata; quae tamen non diu Romae optinuere. His nempe legibus cautum erat ne quis in urbe uri posset, ac ne rogus ascea poliretur: ut tribus tantum reciniis (recinium est breve femineum palleolum) et uno clavo purpurae et decem tibicinibus relictis, lamentatio tolleretur. Mulieribus item interdictum erat genas sibi radere (h. e. carpere, lacerare) lessumque facere: nihil aliud autem erat lessum quam eiulatio quaedam — graece θρῆνος — ut Tullio quoque probatur. Tollebant leges et servilem uncturam et circumpotationem, et sumptuosam respersionem, quae plerumque vino fieri solebat, longas coronas atque acerras, sive aras in quibus odores incenderentur. Sed illum excipiebant qui coronam sibi adeptus esset, haec scilicet poterat illi mortuo impune (se fraude) addi. Aurum sepelire lex vetabat, cui tamen dentes auro iuncti essent, aurum tolli non iubebat. Quarum legum vestigium in Ulpiani libris ad Edictum mihi deprehendere videor, ait enim: « Non oportet ornamenta cum corporibus condi, nec quid aliud eiusmodi ». D. 11. 7. 14. 5 — itemque in mandatis principalibus quibus cavebatur ne pecunia cum mortuis sepeliretur, cf. D. 48. 13. 4. 5.

Iam antiquitus videtur fuisse prohibitum per diem funus ducere, cum quia laetitiae diei parum conferre videbatur funeris tristitia ac luctus, tum quia dies superis dis sacra, nox autem inferis habebatur. Quae cum oblivioni essent tradita, imperator Iulianus constitutione sua quadam revocavit, quam graece ac latine edidit, et quae nuper inventa in Hermete, quam vocant, ephemeride est legenda una cum notis Hertlein atque Mommseni (Hermes T. VIII p. 169. 172). Cum Iulianus de more suo plurima prorsus obsoleta ac poene ridicula effutierit, ita concludit:

τοῖς μὲν οὖν ἐκοῦσι πειθομένοις ἐξαρκεῖ ταῦτα. ἃ γὰρ ἡμάρτανον μαθόντες μετατιθέσθων πρὸς τὸ βέλτιον· εἰ δέ τις τοιοῦτός ἐστιν οἷος ἀπειλῆς καὶ ζημίας δεῖσθαι ἴστω τὴν μεγίστην ὑφέξων δίκην εἰ πρὸ δεκάτης ἡμερινῆς ὥρας τολμήσει τε τῶν ἀπογινομένων τινὸς κηδεῦσαι σῶμα καὶ διὰ τῆς πόλεως ἐνεγχεῖν· ἀλλὰ δύντος ἡλίου καὶ αὖ πρὶν ἀνέχειν ταῦτα γενέσθω, ἡ δὲ ἡμέρα καθαρὰ καθαροῖς τοῖς τε ἔργοις καὶ τοῖς λόγοις τοῖς ὀλυμπίοις ἀνακείσθω θεοῖς.

Igitur ex infinitis prope nugis id tantum augurari licet, neminem potuisse ante decimam horam diei postve ortum solem funus agere,

diem sacram olympiis dis esse debere neque lugubri spectaculo funestari: qui secus faxit, maximis poenis plectendum esse (1).

Sed iam hunc nugarum sectatorem reliquamus atque ad sumptus funerum accuratius pertractandos veniamus.

Illi qui mortuum funeraverit quidquid impendit heres solvere debet, illique funeraria actio competit. Ulpianus ait eum qui in alienis parentalibus aliquid impendit cum defuncto ipso non cum herede contrahere videri (D. 11. 7. 1). Id est quod vulgo dicitur funeris impensas *debitum hereditatis* esse, immo constat eas cetera debita ex privilegio superare cum bona solvendo non sint (D. 11. 7. 45). Quam late pateant funeris sumptus ex loco Macri elici potest (D. 11. 7. 37 pr.): non tantum enim quidquid corporis causa (veluti unguenta) adhibitum est in computationem cadit, sed et sarcophagum et locus qui ad sepeliendum mortuum emptus est et vectura et vectigalia, si qua sunt, et monumentum quoque continentur. Qui alienum mortuum funerat, ni pietatis causa hoc faciat, videtur negotia alicuius gerere, h. e. actio funeraria nil aliud esse videtur quam negotiorum gestorum actionis contrariae species (D. 11. 7. 14. 11 — 8. 5. 2). Qui dum falso se heredem putaret alienum mortuum funeravit nequit summo iure actione funeraria uti, non enim hoc animo fecit quasi aliena negotia gerens: atque ita Proculo visum est. Sed benignior Ulpiani sententia est (D. 11. 7. 14. 11) actionem ex causa concedendam esse, quae et magis placet.

Item qui pietatis causa parentavit non videtur negotia aliena gerere voluisse. Quae tamen non ita sunt accipienda, ut nemini sumptus repetere liceat qui misericordia erga defunctum qui insepultus iaceret, vel veteri amicitia motus sit; quis enim sine pietatis intentione cadaver alienum funerat? Ad omnem ergo ancipitem quaestionem vitandam fieri solebat ut qui ad funus faciendum accederet simul testaretur quo animo id facere instituerit. Cum tamen plerumque heredes, cum nondum cretionis dies venisset, veriti ne se in rebus hereditariis miscuisse ac pro herede gessisse viderentur, testarentur se id pietatis causa tantum facere, fiebat ut sumptus repetere nequirent etiam si postea, re accurate perpensa, hereditatem a dire noluissent. Igitur formula quaedam excogitata est qua cum ipsi uterentur nec pro he-

(1) Iuliani constitutio in Iustiniani codice non est recepta: fortasse ut Mommseno probatur huius constitionis fragmentum est quod nunc legitur Cod. 9. 19. 5 quod tamen alia prorsus respicit, ibi enim de his qui sepulcra violant sermo est.

rede viderentur gerere nec funerariam actionem amissum irent, testabantur enim se id pietatis causa facere *ut et sumptus possent servare*. De his cf. Ulpian. D. 11. 7. 14 passim.

Iuvat nunc actionem funerariam cum actione negotiorum gestorum contraria componere, ita enim regulae omnes, quae de illa in Digestorum libris leguntur, aptissime dilucidari mihi videntur.

I. Illi qui negotia gessit quae impendit praestanda sunt, *si vero utiliter gessit* D. 3. 5. 2. 1. Quare si, exempli gratia, in contumeliam defuncti hominis locupletioris modicus sumptus factus sit, non debet huius sumptus ratio haberi (D. 11. 7. 14. 10). Quin etiam procul dubio, defuncti heredi actio iniuriarum competit.

II. Si quis negotia aliena gerens plus quam oporteret impenderit, recuperaturum eum id tantum quod praestari debuerit ratio suadet (D. 3, 5, 25): item si is qui funeravit immodicos sumptus fecerit, id tantum recipit quod pro dignitate ac facultatibus defuncti erat solvendum (D. 11. 7. 14. 6). Quinimo nec voluntas testatoris sequenda est, si iustam rationem egrediatur, ut Ulpiano placet.

III. Quod autem utiliter gestum est necesse est apud iudicem pro rato haberi (D. 3. 5. 9). Labeo vero funeraria actione qui gessit uti posse inquit, etiam si heres ratum habere nolit. D. 11. 7. 14. 16) — quod et verum est.

IV. Demum argumentari licet pecuniae impensae usuras esse praestandas, cum id pro negotiorum gestore optineat (D. 3. 5. 19, 4).

Ceterum sciendum est huic actioni tum locum esse cum nulla alia suppetat, itaque qui familiae erciscundae actione sumptus funeris repetere potest (a coheredibus nempe) non est cur actione funeraria experiatur. Haec Ulpianus seu potius Labeo (D. 11. 7. 14. 12) quem ille est secutus. Sed heres nequit familiae erciscundae iudicio id consequi quod pro negotiis ante aditam hereditatem gestis impendit, nam ut familiae erciscundae agere quis possit non tantum heredem eum esse oportet, verum ex ea causa agere quam gessit, quodque admisit posteaquam heres effectus sit (D. 10. 2. 49). Unde actio funeraria tum tantum deneganda est, cum heres post aditam hereditatem etiam pro coheredibus suis mortuum funeravit. Item cessat actio funeraria si quis mandati actione uti potest (D. 11. 7. 14. 15); sat enim ridiculum foret, mandato extante, negotiorum gestorum iudicio experiri.

Superest ut dispiciamus quis funeris impensas sustinere debeat et (quod ad idem sane redit) quis actione funeraria possit conveniri.

Si teneamus funeris impensas debitum esse hereditatis, facile patebit heredes vel bonorum possessores (ac revera pro partibus, quas singuli acceperunt) hoc potissimum praestare debere. Quod autem diximus pro rata parte quemque teneri sic est accipiendum, ut hereditas non deductis legatis nec pretiis manumissorum nec denique aere alieno computetur. Ne patronus quidem excipitur cum contra tabulas bonorum possessionem petat. Mulieres de dotibus etiam funerari oportet, sicut habet Ulpianus (D. 11. 7. 16) — unde probatur eum qui morte mulieris dotem lucretur in funus conferre debere. Maritum ergo, si in matrimonio dotem solverit vel si dos nulla fuisset, conveniri non oportet. Si tamen heredes mulieris non extent, eiusque pater non solvendo sit (nam ut natura ipsa docet, patrem de filiis ac filios de patre hoc potissimum curare decet), omnimodo tenetur maritus secundum quod potest, ne uxor insepulta reliquatur.

Iam vidimus haud raro accidisse ut quidam pietatis causa funeris impensas sustinuissent. Inscriptiones huius rei testes complures afferre liceret, ni res admodum trita videretur. Sufficiat ergo addere pro « pietatis causa » in titulis graece conscriptis legi solere: « στοργῆς χάριν » (C. I. Gr. III n. 6561) « μνήμης χάριν » (C. I. Gr. III n. 6571) « μνήμης τελευταίας χάριν » (ib. n. 7572) « μνείας χάριν » (ib. 6562) (1).

Saepius hoc a patronis erga libertos vel contra a libertis erga patronos fieri solebat.

Quod etiam e monumentis conspici potest: meminisse enim iuvat, quod iam satis explanavimus, monumenti sumptus inter funeris impensas esse recensendos.

C. I. L. T. I p. 213 n. 1024 = liberti patrono suo L. Alfio monumentum de suo facere coiravere.

C. I. L. T. V n. 2176 = L. Ogius Patroclus — hortos cum aedificio huic sepulturae unctos civibus donavit ut ex reditu eorum largius rosae et escae patrono suo — — ponerentur.

Ad rem faciunt tituli qui secuntur:

C. I. L. T. V p. 1524 = Tullius Orfeus posuit amico Dicyprio Conio conlegae.

(1) Latine brevius « pro pietate » (Corp. Inscr. Lat. Tom. III P. II p. 1186). — quod et ita « PP » siglae modo scribi poterat ut saepius invenitur — Cf. item Corp. Inscr. Lat. T. III nn. 1903. 2535. 4569 cet.

C. I. L. T. VII, p. 205 n. 1144 = C Acilio Basso medic. duplic. conlegae eius.

Plerumque funeris impensas vel saltem monumenti sodales praestabant, qui in eodem collegio erant:

C. I. L. T. III P. I p. 242 n. 1504 = « at funus autem Zosimi et titulum contulerunt colleg. fabr. X CCCC ».

id. T. III P. I p. 454 n. 3583 = « ad quem sepulturam coll(egium) cent(onariorum) X CCC contulit ».

id. T. V P. II n. 5888 = « Dis Manibus L Pulli Natalis decurialis collegi — — L(ocus) d(atus) d(ecreto) c(ollegi).

id. T. V P. I n. 4341 = « M Nonio M F — — Coll. dendroph(orum): quod eius industria immunitas collegi nostri sit confirmata — Patrono l. d. d. c. ».

id. n. 4454 = L. Fil. Picatice Collegium Cent(onariorum) et Fabr(orum) . l(ocus) d(atus) d(ecreto) d(ecurionum) (sc. conlegii).

id. n. 4391 = Coll. fabr. Sp. Atilio Ceriali qui rem suam coll. reliquit.

id. n. 4222 = Memoriam pictoribus duobus pelegrinis: — — fecerunt collegae.

Quae cum apud omnia fere collegia usuveniant, atque plerisque inscriptionibus etiam hodierna die exstantibus comprobentur, non est sane necesse exempla glomerare. Sed illud praeterire nequimus etiam *funeraticia collegia* fuisse, quorum munus erat sodalibus funus parare, qui menstruam stipem conferre tenebantur. Quorum naturam perspectam habere plurimi nostra refert, quippe quae ad collegiorum ac sodaliciorum indolem quod ad ius attinet cognoscendam summopere conferant.

Exemplum omnium praestantissimum inscriptio perhibet, in qua collegii funeraticii Lanuvini statuta exponuntur; eam iam dilucidavit Theodorus Mommsenus pluribus abhinc annis in opella quae inscribitur: De collegiis ac sodaliciis Romanorum p. 98 ac sq. — Ante omnia caput ex S. C de conlegiis in lapide relatum est, quo permittitur iis qui stipem conferre velint ad defunctos funerandos collegium habere, dummodo non saepius quam semel in mense coeant. Secuntur ipsius collegii statuta.

Qui in collegium ingredi vult, C sestertios solvere debet, itidemque in menses singulos binos sestertios (vel asses V ut lapis ait) atque *amphoram boni vini* (vinum autem ad epulas parentales instruendas praestabatur). Si quis duobus mensibus continuis stipem non contulerit, eique quid humanitus contigerit, eius funeris ratio non habebitur, quamvis in testamento suo collegio aliquid re-

liquerit. Eius contra qui stipem suam prout statutum est semper contulit, cum vita decedat, funus a collegio suscipitur, atque ex arca sumuntur ad parentalia instruenda sestertia CCC n. — Quod si ultra milliarium XX a municipio Lanuvino decesserit, et nuntiatum fuerit, eo exire debent tres viri e corpore electi qui eius funeris curam agant. Hi rationem reddere *populo* (1) tenentur, sin autem quid fraudis inveniatur, multa eis quadruplum esto. Iis autem qui electi sunt cum sportulae dantur, tum viatici nomine HS. XX. — Item placuit quisquis *ex quacumque causa* mortem sibi adsciverit, eius ratio funeris non haberi.

Collegium funeraticium est id pariter quod Æsculapii et Hygiae vocatur, cf. titulum apud Orellium n. 2417. Adde collegium funeraticium Alburnense, quod nobis ex inscriptione notum est, quam post alios edidit Brunsius in libro iam laudato « Fontes iur. rom. ant. [4] » p. 250. Cuius collegii historiam, quae e lapide liquet, commemorare liceat, tum animi causa, tum quia ad iuris notionem haud parum pertinet. Magister nempe (qui etiam quinquennalis audit Pauly Enc. d. cl. Alt. Bd. VI S. 1260) cum duobus quaestoribus publice testatur collegium solutum iri, cum e viris LIIII modo XVII qui stipem conferrent remanserint, nec commagister Iulius ex die magisterii sui unquam apparuerit. = « seque idcirco per hunc libellum publice testantur, ut si quis defunctus fuerit ne putet se collegium habere aut ab eis aliquem petitionem funeris habiturum ». Tale erat et collegium Sylvani, quod Philippis erat (Corp. I. L. III, I, p. 120). Praeest sacerdos qui item aedilis est: inter collegas servi plerique sunt, mortuo sodale denarios singulos dare oportet. In lapide etiam liberalitas Alfeni Aspasii sodalis ac sacerdotis commemoratur qui vivus denarium mortis suae causa remisit (1, 4) (2).

Haec omnia collegia tenuiorum fuisse mihi persuasum est, cum etiam servi recipiantur, qui in ceteris recipi nequibant (D. 47. 22. 3. 2): collegii curatores cavere oportebat ne servi invito aut ignorante domino reciperentur, ne in poenam aureorum C in singulos homines constitutam incurrerent. Statutis collegii Lanuvini cautum erat, ut, si domini dominaeve iniquitate corpus servi sodalis sepultura datum non fuisset, eius tamen collegii impensis funus imaginarium fieret.

Qui honestiores erant neque eiusmodi collegiis nomen suum dare aut poterant aut volebant, solebant plerumque summam quan-

(1) De *populo* collegiorum cf. **Pernice** « *Labeo* » 1. 291.

(2) Adde **Tertullianum**, Apolog. 39 et quae disputavit **Voigtius** (**Borsian's** *Berichte* XIX, 628 sq.).

dam pecuniae, vel rem quae fructus afferret, collegio cuidam testamento relinquere ut funus sibi fieret, atque ut ex usuris vel fructibus quotannis eorum mortis anniversaria dies rosis et epulis concelebreretur Cuius rei in inscriptionum latinorum collectionibus testimonia abunde invenienda sunt: en breve quoddam specimen, exemplis enim omnia efficaciter et commode illustrantur:

C. I. L. T. V n. 6348 = D. M. L. Cassius Epillymetus IIvir sibi et L. Cassio Ocyti — Patrono Optimo, qui collegio fabr(orum laud(ensium) in utrumque florem perpetuo sibi deducendum HS M testamento legavit.

ib. n. 2072 = D. M. — L. Veturio Nepoti qui *ut exequiam sibi facerent* donavi H-S ñ MD, item Herclanensibus H-S ñ CCCC ut facerent — — herclanenses parentalia, mulieres rosas.

ib. n. 4489 = Valeriae Visae — — — quae coll(egio) fabroru(m) agellum Æscianum suum mancipavit se viva — ita ut ex reditu (sic) eiusde(m) agelli q. a. Silia Coniugi suo — — diebus parentalium et rosaliorum in sing. ex X XV profusiones in perpetuum fierunt. Item que et coll(egio) farmac(opolarum) publicor(um) agellum suum mancipavit se viva ut ex reditu eiusde(m) agelli q. a. Silia coniugi suo — diebus parentaliorum et rosaliorum in sing. ex X XXV in perpet. firert.

C. I. L. III n. 3893 = L. Casernio Primitivo decuriali coll. fabr. legatis ex testament. eorum decur(iis) IIII coll(egii) fabr(orum) uti rosas Carnar(ias) ducent X CC. Quae omnia nequeunt divi Marci temporibus vetustiora esse, qui princeps collegiis legata capere concessit (D. 34. 5. 20. III De leg. 93, 4). Munus illud funebre quod legato vel donationi adiectum est nil aliud mihi esse videtur quam *modus* quem vocant. Constat enim modum legem esse quae legato, donationi ceterisque quae liberalitatis causa fiant adicitur ut aliquid fiat illius opera qui accepit. Quod loco insigni Digestorum sane confirmatum videtur 35. 1. 17. 4: « quod si cui in hoc legatum sit ut ex eo aliquid faceret veluti monumentum testatori, vel opus aut epulum municipibus faceret — — *sub modo* legatum videtur ».

Quod si donatarius legem haud impleverit, donator vel heres eius quae donata sunt petere potest (C. 4. 6. 3) nempe per condictionem quae dicitur « causa non secuta » (C. 4. 6. 6. 8). Sin autem legatarius *modum* legati adimplere neglexerit heredi condictio competit.

Interdum demum testator cum vel singulae personae vel col-

legio alicui mandaret, ut sibi funus faceret vel monumentum poneret, aliquem nominabat ex cuius arbitratu res fieret.

C. I. T. I p. 243 n. 1199 = « filius L. Papius Pollio ex testamento patris *arbitratu L. Novercinii Pollionis* haec tria fecit in hon. patr. (mulsum et crustum — munus gladiatorium — monumentum).

ib. n. 1228 = Tullio C. F. Macro — Duovir(o) Quinq(uennali) — Ex Testamento — *Arbitratu Ofilliai C. F,* — Kufai uxoris.

Arbitratus autem et in aliis negotiis frequentissimus erat (D. 18. 1. 7 pr. cet.) sed et in iure publico haud infrequens sane occurrit. Cf. de arbitratu aedilium (vel duumvirum in municipiis) Leg. Iul. Munic. l. 33. 54. Leg. Puteolan. I. 8, III. 6, III. 7. Leg. agr. l. 73. 74-84. — Sententia inter Genuates et Viturios, l. 24 sq. Huc etiam pertinent quodammodo etiam ea quae *de receptis arbitriis* (nempe ad litem diiudicandam) D. 4. 8. C. 2. 56 leguntur, ex quibus quaedam regulae elici possunt quae etiam ad arbitrum testamento electum pertineant:

I. Nemo cogitur arbitrium suscipere, sin autem semel quis susceperit nequit sine causa arbitrivm relinquere; quin et a Praetore cogendus est officio quod suscepit perfungi — (arg. a D. 4. 8. 1). Et filiusfamilias potest arbitrio fungi, atque quod cepit nequit relinquere (1).

II. Aetas valetudo occupatio negotiorum suorum profectio urgens munus aliquod reipublicae inimicitia capitalis excusant ab arbitratu (arg. a D. 4. 8. 15).

III. Non debetur arbitro optemperare si quid inhonesti iubeat (arg. a D. 4. 8. 21. 7) (2): ut ecce si iubeat locupleti homini momumentum vilissimum fieri.

Sed iam diu in funerum iure exponendo morati sumus: expedit ad partem commentationis nostrae postremam pergere, quam difficillimam esse sentimus. Cum enim de natura ac iure religio-

(1) Si arbiter non paruerit poterit et multa compelli, arg. a. D. 4. 8. 32. 12.

(2) Si qui designatus est arbitrium suscipere noluerit seu etiam nequiverit, heres vel legatarius multam praestare non teneatur, nec quod ei est relictum amittere — omnimodo tamen quod testator praecepit facere debet. Cf. D. 35. 1. 6. pr. — Si heres, qui alicuius arbitratu certa summa monumentum facere iussus esset, pecuniam arbitro dederit isque accepta pecunia monomentum non fecerit, condictione tenetur ut Iuliano placet (D. 12. 4. 11).

sorum, de modis quibus res religiosae fiant, de inlatione mortuorum ac de funeribus fusius locuti simus, ratio nunc rei postulat ut de usu ac tutela sepulcrorum dispiciamus.

Caput III.

De iis quibus sepulcri ius competit — De sepulcrorum tutela — De crimine sepulcri violati.

Prorsus liberum est ei, qui sepulcrum condit, cui velit, sepulcrorum ius concedere, idque variis modis fit. Nam ius sepulcri potest testamento legari (non autem sepulcrum ipsum C. 6. 37. 14), vel titulo ipso alicui tribui, quin et vendi possit nullus dubito. Nam « *ius sepulcrorum* » religiosum non esse omnibus liquet, quare et extra commercium non est. Nos oportet potissimum inscriptiones sequi, ut perspicue discere possimus quomodo res se habuerint.

I. Testator vel sepulcri conditor sibi tantum ius sepulcri reservabat ut et heredem excluderet.

Corp. Inscr. Lat. T. I p. 251 n. 1269 (monum. A. Arri) item T. I p. 231 n. 1090.

II. Sepulcrum quibusdam tantum personis nominatim reservatur, ceteri inter quos et heredes arcentur.

C. I. L. T. III P. II p. 980 n. 6077 = D. M. Ancyliae Lamyra Coniugi Carissimae Appollonius — — hoc monumentum cum sarcophago fecit et sibi et suis — — Hoc monumentum heredem non sequetur.

C. I. L. T. V P. I n. 4017 — — Maximinus et Tertius parentibus bene merentibus — — hoc mon. her. non. seq.

Quae formula qua heres a sepulcri iure arcebatur ita frequens occurrebat ut taederet eam plene scribere, atque variis modis singulis tantum litteris pro singulis vocabulis exprimeretur. Hac de re confer Corpus Inscriptionum latinorum Tom V P. II p. 1202. Nos siglas frequentiores hic referemus:

H. M. H. N. S. = hoc. monum. hered. non sequetur cf. C. I. L. T. V n. 72. 219. 4017. 7670.

H. L. E. M. H. N. S. = *hic locus* et monum. hered. non sequetur. ib. 2681, 2926.

H. M. E. L. H. N. S. = hoc mon. et locus cet. — n. 290.

H. L. S. H. N. S. = *hic locus sepulturae* hered. cet. = n. 2523. 2944.

legio alicui mandaret, ut sibi funus faceret vel monumentum poneret, aliquem nominabat ex cuius arbitratu res fieret.

C. I. T. I p. 243 n. 1199 = « filius L. Papius Pollio ex testamento patris *arbitratu L. Novercinii Pollionis* haec tria fecit in hon. patr. (mulsum et crustum — munus gladiatorium — monumentum).

ib. n. 1228 = Tullio C. F. Macro — Duovir(o) Quinq(uennali) — Ex Testamento — *Arbitratu Ofilliai C. F,* — Kufai uxoris.

Arbitratus autem et in aliis negotiis frequentissimus erat (D. 18. 1. 7 pr. cet.) sed et in iure publico haud infrequens sane occurrit. Cf. de arbitratu aedilium (vel duumvirum in municipiis) Leg. Iul. Munic. l. 33. 54. Leg. Puteolan. I. 8, III. 6, III. 7. Leg. agr. l. 73. 74-84. — Sententia inter Genuates et Viturios, l. 24 sq. Huc etiam pertinent quodammodo etiam ea quae *de receptis arbitriis* (nempe ad litem diiudicandam) D. 4. 8. C. 2. 56 leguntur, ex quibus quaedam regulae elici possunt quae etiam ad arbitrum testamento electum pertineant:

I. Nemo cogitur arbitrium suscipere, sin autem semel quis susceperit nequit sine causa arbitrivm relinquere; quin et a Praetore cogendus est officio quod suscepit perfungi — (arg. a D. 4. 8. 1). Et filiusfamilias potest arbitrio fungi, atque quod cepit nequit relinquere (1).

II. Aetas valetudo occupatio negotiorum suorum profectio urgens munus aliquod reipublicae inimicitia capitalis excusant ab arbitratu (arg. a D. 4. 8. 15).

III. Non debetur arbitro optemperare si quid inhonesti iubeat (arg. a D. 4. 8. 21. 7) (2): ut ecce si iubeat locupleti homini momumentum vilissimum fieri.

Sed iam diu in funerum iure exponendo morati sumus: expedit ad partem commentationis nostrae postremam pergere, quam difficillimam esse sentimus. Cum enim de natura ac iure religio-

(1) Si arbiter non paruerit poterit et multa compelli, arg. a. D. 4. 8. 32. 12.

(2) Si qui designatus est arbitrium suscipere noluerit seu etiam nequiverit, heres vel legatarius multam praestare non teneatur, nec quod ei est relictum amittere — omnimodo tamen quod testator praecepit facere debet. Cf. D. 35. 1. 6. pr. — Si heres, qui alicuius arbitratu certa summa monumentum facere iussus esset, pecuniam arbitro dederit isque accepta pecunia monomentum non fecerit, condictione tenetur ut Iuliano placet (D. 12. 4. 11).

sorum, de modis quibus res religiosae fiant, de inlatione mortuorum ac de funeribus fusius locuti simus, ratio nunc rei postulat ut de usu ac tutela sepulcrorum dispiciamus.

Caput III.

De iis quibus sepulcri ius competit — De sepulcrorum tutela — De crimine sepulcri violati.

Prorsus liberum est ei, qui sepulcrum condit, cui velit, sepulcrorum ius concedere, idque variis modis fit. Nam ius sepulcri potest testamento legari (non autem sepulcrum ipsum C. 6. 37. 14), vel titulo ipso alicui tribui, quin et vendi possit nullus dubito. Nam « *ius sepulcrorum* » religiosum non esse omnibus liquet, quare et extra commercium non est. Nos oportet potissimum inscriptiones sequi, ut perspicue discere possimus quomodo res se habuerint.

I. Testator vel sepulcri conditor sibi tantum ius sepulcri reservabat ut et heredem excluderet.

Corp. Inscr. Lat. T. I p. 251 n. 1269 (monum. A. Arri) item T. I p. 231 n. 1090.

II. Sepulcrum quibusdam tantum personis nominatim reservatur, ceteri inter quos et heredes arcentur.

C. I. L. T. III P. II p. 980 n. 6077 = D. M. Ancyliae Lamyra Coniugi Carissimae Appollonius — — hoc monumentum cum sarcophago fecit et sibi et suis — — Hoc monumentum heredem non sequetur.

C. I. L. T. V P. I n. 4017 — — Maximinus et Tertius parentibus bene merentibus — — hoc mon. her. non. seq.

Quae formula qua heres a sepulcri iure arcebatur ita frequens occurrebat ut taederet eam plene scribere, atque variis modis singulis tantum litteris pro singulis vocabulis exprimeretur. Hac de re confer Corpus Inscriptionum latinorum Tom V P. II p. 1202. Nos siglas frequentiores hic referemus:

H. M. H. N. S. = hoc. monum. hered. non sequetur cf. C. I. L. T. V n. 72. 219. 4017. 7670.

H. L. E. M. H. N. S. = *hic locus* et monum. hered. non sequetur. ib. 2681, 2926.

H. M. E. L. H. N. S. = hoc mon. et locus cet. — n. 290.

H. L. S. H. N. S. = *hic locus sepulturae* hered. cet. = n. 2523. 2944.

L. SE. H. N. S. = *locus sepulturae* her. cet. = n. 2465.

MON. H. H. M. N. S. = Monumentum hoc heredem meum n. s. = n. 2576.

Patet ergo ni heres nominatim arceretur, ius sepulcri habuisse, nam ius sepulcri extra commercium non erat, ut iam didicimus, sed apud testatorem erat atque eius morte ad heredes rite transmittebatur. Quae et de bonorum possessore dicenda sunt et de eo, cui libertatium conservandarum causa bona addicuntur Cf. Dig. 40. 5. 4. 21 (Ulp.)

III. Inter omnia praecipuum locum optinent *sepulcra familiaria atque hereditaria.* Gaius ea sic definiit: « Familiaria sepulcra dicuntur quae quis sibi familiaeque suae constituit; hereditaria autem quae quis sibi heredibusque suis constituit » (D. 11. 7. 5) — bene quidem et eleganter ut solet, non ita tamen ut iis, qui in pulvere iuridico rudiores sint, quandam non pariat obscuritatem, si et alios Digestorum ac Codicis locos componere velint. Memoriter teneamus heredes ipso iure in sepulcrum defuncti inferri posse, ni ab ipso nominatim prohibeantur. Hinc liquet eos et in familiaribus sepulcris sepeliri posse, quamvis nullo necessitudinis vinculo adstringantur, contra neminem ex familia testatoris in hereditarium sepulcrum inferri posse, nisi et ipse heres sit. Haec docet lex quae in Codice legitur 3. 44. 13: « ius sepulcri tam familiaris quam hereditarii ad *extraneos etiam heredes,* familiaris autem ad familiam etsi nullus ex ea heres sit, non etiam ad alium quemquam qui non est heres pertinere potest ». — Liberi quoque ius paterni sepulcri habent, nec refert an forte exheredentur, nisi testator specialiter vetuerit D. 11. 7. 6. Ius enim sepulcrorum optime Papinianus cum iure libertorum comparavit D. 37. 10. 11: filius autem exheredatus in bona libertorum patris sui succedit, ni forte latini iuniani fuerint cf. Gai 3, 64.

Exempla, quae in lapidibus legere est, ita abundant, ut non operae pretium esse ducamus aliqua adducere. Illud tantum commemorare par est saepius nobis in titulis occurrere haec verba « ne de nomine meo exeat » vel « sibi et suis » cet.

Sepulcrorum quae familiaria audiunt duo esse potissimum genera distinguenda titulorum studium suadet, nam vel ad uxorem tantum et liberos pertinebant vel ad totam familiam et gentem. Hoc genus videtur fuisse antiquissimum, cum apud Tullium legamus olim « extra sacra et gentem » quemquam inferri nefas fuisse « et sic Torquatum in gente Popillia iudicasse » (De Leg. 2. 22. 55).

Id moris apud omnes fere gentes invaluit. Cf. quae apud Mosen legenda sunt de sepulcro quod Abraham a filiis Kheth (h. e. a Khitheis) emit pro se posterisque suis « in possessionem sepulturae » « אחזת-קבר » (1. Mos. 23. 20): ibi et nepotes et pronepotes eius rite humati sunt (1. Mos. 49. 31 ib. 50. 12 sq.). Apud Herodotum patria Ægyptiorum sepulcra commemorantur πατρώϊος τάφος (2. 136) πατρωΐαι τάφαι (2. 169) — item Scytharum τάφοι πατρωΐοι (4. 127). Cf. Herodoteum indicem in editione quam curavit Dietsch (T. II p. 366). Sepulcra familiaria seu gentilicia apud Graecos maxime in usu erant uti omnibus prorsus constat. Id tantum huc referre liceat magnam ortam esse de Thucydidis morte dissensionem eo quod cum Scaptosylae eum mortuum esse complura docerent testimonia, eius sepulcrum *inter ea gentis eius* videre erat, quod et Marcellinus in eius vita scripsit (§. 32).

IV. Saepissime una cum familia et heredibus liberti commemorantur, C. I. L. T. I n. 1077 « nolo in monumentum inferantur nisi lib. et familia et qui heredes erunt » cet. — immo et interdum cum familia ad ius sepulcrum non arcessitur, liberti vocantur — consule Or. 4388: « D. M. A. Larcino Adiutor fecit monumentum sibi libertis libertabusque posterisque eorum ». — Qua de re constitutionem divi Alexandri legere iuvat (Cod. 3. 44. 6): « monumentorum inscriptiones neque sepulcrorum iura neque dominium loci puri (eius scilicet qui sepulcro additus est) ad libertos transferunt ». Quam sententiam et Papiniani fuisse Ulpianus ad Edictum auctor est: « liberti autem nec sepeliri nec alios inferre poterunt, » nisi heredes extiterint patrono, quamvis quidem inscripserint « mo- » numentum sibi libertisque suis fecisse » et ita Papinianus re- » spondit et idem saepissime constitutum est » (D. 11. 7. 6). — Sed, quamvis de hoc Ulpianus prorsus conticescat, illud etiam procul dubio mihi videtur ius sepulcrorum ad libertos pertinuisse cum testator id eis nominatim legasset. Quod tum e rei ipsius natura (cur enim testator prohibebitur ius quod ipse habeat alicui testamento concedere?) tum ex ingenti similium inscriptionum copia plane elici posse mihi videtur; nam cum credibile prorsus non sit tot libertos etiam heredes fuisse constitutos (praesertim cum heredes separatim nominentur) neque omnes hasce inscriptiones omni vi fuisse destitutas, accipi sane potest maximam horum titulorum partem legato etiam fuisse confirmatam. Sed divus Alexander in constitutione superius laudata ait etiam praescriptione libertos, quibus inscriptione tantum ius sepulcri concessum fuisset, id consequi potuisse. Hoc

gnum est quod animadvertatur: aliibi enim legitur longa possessione ius sepulcrorum adquiri non posse (D. 11. 8. 4) (1).

Denique testator in inscriptione quibusdam pro libito hoc ius concedebat. En pauca exempla: C. I. Gr. II p. 757 n. 3276 Or. 4382. — Mirum est quod in inscriptione reperitur quae apud Orellium (4355) legitur: « in hoc monumento sive sepulcro corpus permissu Ædilium inferre licebit ».

Iam satis nobis de iis, quibus ius sepulcri competit, fuit sermo, Nunc videamus qui tutelam habeat monumenti, proprietatem enim habere nemini conceditur. — Plerumque heredibus tutelam pertinuisse ratio ipsa et quae iam didicimus suadent; poterat tamen te stator quem vellet rogare ut sui monumenti tutelam susciperet: saepius haec tutela collegio cuidam tribuebatur, ut iam vidimus parentalium quoque curam collegiis tribui solere.

C. I. Gr. III. 998 n. 6624 = « τούτου τοῦ μνημείου καὶ τῶν κατεπικειμένων σορῶν κήδεται Γναῖος Ὀκταούϊος Βασσιανὸς κληρονόμος Ὀκταουΐας Ὑγείας ».

ib. II. 758 n. 3283 « τούτου τοῦ ἡρῴου — — κήδονται οἷς καὶ διαφέρουσι κατὰ γένος ».

(1) Interdum omnibus libertis ius adtribuebatur: Or. 4085 « sibi et uxori et libertis posterisque eorum omnibus ». Or. 4388 « A Larcius — — fecit monumentum sibi libertis libertabusque posterisque eorum ». — C. I. L. T. I n. 1059 = « C. L. Pamphilus medicus — — sibi et Nelpiae uxori et liberteis et libertabus omnibus postereisque eorum ». — C. I. Gr. III p. 985 n. 6561: « Κλαυδίαζῶσα τὸ μνημεῖον κατεσκεύασεν ἑαυτῇ καὶ τῷ γλυκυτάτῳ ἀνδρὶ Αὐρηλίῳ — — καὶ τοῖς ἀπελευθέροις καὶ τοῖς ἐξ αὐτῶν ἐσομένοις » ib. II p. 769 n. 3385 = Οὔλπιος Ἰούλιος — — κατεσκεύασα αὐτῷ καὶ τῇ γυναικί μου Τύχῃ καὶ τέχνοις καί ἐγγόνοις καὶ θρέμμασί μου καὶ ἀπελευθέροις · — interdum libertabus tantum Or. 4393 « sibi — — libertabusque suis ». — aliquando demum quibusdam tantum, ut in monumento Atilii Serrani (C. I. L. T. I n. 1097) « ex testamento in hoc monumento neminem inferri neque condi licet *nisi eos libertos quibus hoc testamento dedi tribuique* » — C. I Gr. III p. 987 n. 6570 « κατεσκεύασα ἐμαυτῷ καὶ τῇ ἀπελευθέρᾳ μου Ἀγαλματίῳ κ · τ · λ · » — Prorsus singulare est quod legitur C. I Gr. III. 985 n. 6562 « ἐπόησε ἑαυτῷ καὶ ἀπελευθέρων ἀπελευθέροις ». — Negari non potest in sepulcris familiaribus ἀναλογία fideicommissorum familiae relictorum. Cf. Leist *Bonorum possessio* p. 15 f. Luebbert. (Comm. Pontif. p. 69). Errore credo Luebbertum in tota hac commentatione deceptum, qui sibi persuasit eum demum manibus iusta persolvere semper debuisse, qui ius sepulcri habuisset.

C. I. d. T. III P. II p. 980 n. 6077 = « hoc monumentum fecit sibi et suis cum sarcophago, *quorum curam agunt* collegia libert(orum) et servorum domini. n. Aug. i(nfra) s(cripta): magnum et Minervium Tabularium et Faustinianum Commentarensium, et decuriorum et tabelliorum cet ». — Hoc mon. quidam Apollonius sibi constituit Cf. T. V P. I n. 4016 cet.

Sed omnia quae hactenus exposuimus, quae Romani ad manium iura tuenda constituerunt nullomodo id, quo tendebant, consequi potuissent nisi quae contra fierent gravius coercuissent. Superest itaque ut de iis, quibus monumenta violantur, ac de eorum coercitione dispiciamus.

Sepulcri violatio plerisque modis admitti potest, quorum praecipuos hic subiciemus.

I. Sepulcrum violat qui corpus effodit atque eicit. Si qua iusta causa sit mortui transferendi, permissus est a Principe vel a collegio Pontificum impetrandus. Hoc, exempli gratia, a Divo Antonino Doritae concessum est, cum vi fluminis eius filii reliquiae contingerentur (C. 3. 44. 1). Locus a quo mortuus rite effodiebatur, purus esse incipiebat. Quae et sub christianis imperatoribus optinuere, atque inest in Codice Valentiniani Theodosii et Arcadii constitutio, qua cavetur ut nemo corpus humatum alio transferre audeat « sine Augusti affatibus » (C. 3. 44. 14). Exemplum item dignum quod afferatur extat apud Orellium (Inscr. n. 794) — « abscessit Selinunte — — reliquae traiectae eius III non Febr. ex permissu collegi Pontificum piaculo facto » — (1).

II. Sepulcrum violare intelligetur qui id aperiat vel mortuum contingat. — Si quis monumentum imperfectum perficere vel corruens reficere vult, Pontificum arbitratu agendum est ut, salva religione, sine piaculo res ad exitum perducatur (D. 11. 8. 5). Quid autem sibi velit condicio illa « salva religione » e loco Marciani (D. 47. 12. 7) intellegere possumus, qui ait: « lapsum monumentum corporibus non contactis licet reficere ». In Inscr. Neapolitanis, quas Mommsenus edidit (n. 1537) una extat, ex qua qui vas diso-

(1) Dignum quod legatur est pontificum decretum, quod nuper Mommsenus (Suppl. Bruns. p. 6) edidit: D. M. Collegium pontificum decrevit si ea ita sunt quae libelo contenentur placere permittere puelam de qua agatur sacelo eximere et iterum ex praescripto deponere et scripturam tituli at pristinam formam restituere, piaculo prius dato operis faciendi ove atra. Cf. *de la Blanchère* (Révue arch. XII, 362 s.) **Bursian's** *Berichte* XXVIII, 52.

mum sibi et uxori poneret, cum haec iam esset condita, permissum Pontificum impetrat ut vas perficiatur. Item apud Orellium (n. 4406) haec legitur: — « petit a Pontif. ut sibi permitterent reficere novum monumentum iuris sui ». —

III. Item qui lapides a sepulcro aufert vel vestes, coronas ceteraque quae cum mortuo sunt condita, quas res religiosas esse iam supra demonstrare conati sumus.

IV. Qui mortuum in sepulcrum infert quo ei ius non est.

V. Qui in sepulcro habitat vel iuxta sepulcrum.

VI. Qui stillicidium in sepulcrum immittit, vel aliquid in id proiectat.

VI. Qui sepulcrum vendit vel alio modo ut rem quae in commercio sit alienat.

VII. Qui statuas deicit, inscriptiones ita laedit ut legi nequeant, et qui cetera id genus admittat.

Quae omnia vel e Digestorum libris, vel e Paulli Sententiis vel ex inscriptionibus colligere studuimus. — In eos qui ita delinquerent Praetor dederat actionem; ex inlata iniuria summa aestimabatur quae solvenda erat « quanti ob eam rem aequum videretur » (l. 3 §. 8 h. t.). Is agebat cuius maximi intererat, puta heredem, vel cui sepulcri tutela mandata fuisset cet. Animadvertendum est per procuratorem actione de violato sepulcro eum, ad quem ea res pertinet, experiri posse, licet in popularibus actionibus procurator non detur cf. D. 3. 3. 42 pr.

Is autem si agere neglegeret, poterat quisque e populo in factum agere; qui sepulcrum violavisset 100 aureos (et si in sepulcro habitasset 200 aureos) solvere debebat, ita ut plane actio popularis esset (D. 47. 12. 3 pr.) (1). Praetor ait « cuius dolo malo sepulcrum violatum esse dicetur », quae verba ostendunt eum demum plecti qui *dolo malo* violavit, ita ut doli non capaces et qui non animo violandi accedant, excusentur (2).

(1) Cf. Binding Grundriss zur Vorl. üb. g. d. Strafr. p. 9. Id non est adsecutus Platnerus (Quaestiones p. 109 sq.) et qui eius vestigia pressit Waechterus (Beilagen. p. 59).

(2) Iam quaedam municipales leges (de legibus municipalibus quae de sepulcrorum iure passim constitutae fuerunt cf. D. 47. 12. 3. 5) videntur, libera republica adhuc manente, poenas, potissimum pecuniarias, in sepulcrorum violatores decrevisse. In Corpore Inscriptionum Lat. longa quaedam inscriptio inest, quae

Item interdicto « quod vi aut clam » in eos agi poterat qui monumentum eiusve ornamenta dolo malo diruisset (D. 47. 12. 2). Hoc interdictum Labeo inquit et in eum competere qui terram in alieno sepulcro congesserit (D. 43. 24. 15. 2), Venuleius etiam in eum qui stillicidium vel proiectum in sepulcrum immiserit, quia « sepulcri fit non solum is locus qui recipiat humationem sed omne etiam supra id caelum ». (D. 43. 24. 22. 4). Licet et cum eo qui alii mandaverit experiri, et, si plures facinus admiserint, in singulos agi potest, opus enim quod a pluribus pro indiviso factum est singulos obligat in solidum: itaque alter conventus alterum non liberat, quinimo perceptio ab altero (D. 43. 24. 15. 2). Hoc interdictum annuum est; annus cedere incipit ex quo id facinus perfectum est aut fieri desiit: in heredes et successores interdictum competit in id, quod ad eos pervenerit, nam restitutorium est. (D. 43. 24. 1. 1 — 15. 3-5) Lex Aquilia locum habere nequit cum de rebus agatur quae extra commercium sint (D. 47. 12. 2), lex autem Aquilia de

Lex Tudertina uocatur, et quae temporum iniuria adeo pessumdata est totque lacunis scatet, ut mihi Danaidum cribrum non iuris tabulam spectare videar. Quaedam tamen quae Mommseni praesertim curis probabiliter sanata sunt (quaeque mire in dubium revocavit vir ceterum in primis audax Ph. Huschkius « Multa » Cap. IV) hic subiciam:

[Quae quem ex hac rogatione agere facere opor]tet agito facito neve quid adversus hanc rog(ationem agito facito sciens dolo malo. Si quis quid adversus hanc rogationem egerit feceri)t sciens dolo malo ei multa esto sestertium $\overline{X}$ eiusque pecuni(ae qui volet magistratus petitio esto — — eamque pecuniam vel) populi iudicio petere vel in sacrum iudicare liceto ». — (C. I L. T. I p. 263 n. 1409). — *De in sacrum iudicando* prolixe atque erudite de more suo egit Huschkius vir cl. « Multa u. Sacr. » p. 353-502, cui tamen nolim ubique facile credas, utpote qui saepius ingenio suo indulgere videatur.

Actionem furti non esse concessam in eos qui aliquid e sepulcris abstulerint vix esset quod monerem, sed eo permotus sum quod Ludenus in dissertatione quae inscribitur « De furti notione secundum ius romanum » p. 39 sq. huiusce rei rationem minime est adsecutus. Huiusmodi complura in illa commentatione, quae a plerisque immerito valde laudatur, legenti ocurrunt. Longe melius Bachemus in commentatione, quam nuper edidit « Der Unterschied zwischen dem Furtum des r. R. u. dem Diebstahl des d. S. G. B. » p. 41. Verum enimvero ius sepulcri satis non adsequor cur hoc loco nominaverit, sed probabilius eius vim auctor, ceterum doctus, non plane perspectam habuisse videtur.

De sepulcri violatione commodissime, ut assolet, egit Rein (Criminalr. der Römer, p. 897 ff.), qui tamen perpauca ac maxime necessaria tantum attulit.

« *ero* » loquatur D. 9. 2. 27. 5 cf. 11. 6 cod. tit. In quibusdam gravioribus casibus ex lege Iulia de vi, publica seu privata agi poterat. Cf. praes. Rein Criminalrecht der Römer S. 749. 899 ff.). — Cum autem scelestorum hominum nequitia iis omnibus poenis nullomodo perterrita, sepulcra spoliare ac violare nunquam destitisset, principalibus mandatis cautum est ut in huiusmodi sontes gravius animadverteretur. Ex Paulli libris sententiarum elicitur eos qui de sepulcro aliquid sustulissent pro personarum qualitate aut in metallos datos vel in insulam deportatos esse (R. S. 1. 21. 5). Idem auctor est qui corpora extraxisset ossave eruisset, si humilior, capite damnatum, si honestior esset, deportatum fuisse (R. S. 5. 19. 2 — D. 47. 12. 11). Constantius A. omnes iam in hoc scelus constitutas poenas confirmans illud etiam addidit ut decem pondo auri a sonte in fiscum conferri deberent (C. 9. 19. 4). Imperator Iulianus poenis sacrilegorum hoc crimen cohibendum esse decrevit (C. 9. 19. 5); iam enim dudum sententia optinuerat sacrilegio prorsus adfine hoc delictum esse. Res enim religiosae, quamvis publica auctoritate non fuissent consecratae (tantum enim in eos qui has violassent poena sacrilegii ex *Lege Iulia de Peculatu* erat constituta Paul. R. S. 5. 19. 1 D. 48. 13. 1 — 4. 1 — 6 pr. — 9 pr.), tamen deorum manium sub tutela erant. Poena autem sacrilegii omnium fere fuisse gravissimam Ulpianus auctor est (D. 48. 16. 6 pr.).

Haud raro fiebat ut sepulcri conditor in inscriptione multam quandam in violaturos comminaretur. Harum inscriptionum seges ita copiosa est, ut prorsus miremur de re adeo vulgata quae ad nos pervenere veteres leges omnino conticescere. Sed non ideo nobis concessum est nulla hac de re verba facere, quin potius conari debemus, ut complures difficultates, quae in ea explicanda nobis sese offerunt pro viribus superemus.

Hanc multam in violatores omnes (non ergo illos tantum qui ex familia defuncti sint, vel qui testamenti causa aliquid ceperint) tituli minantur:

I. « huic monumento manus qui intulerit debit sestertios XX ». Bruns Font.[4] p. 241. II. « si quis titulum meum violaverit cet ». Or. 4424. III. « quisquis hunc titulum deasciaverit aut violaverit ». Or. 7338. IV. ὁ κεινήσας τὸν βωμὸν ἢ ἄλλο τι ἐκ τοῦ τάφου ἀποδώσει cet. C. I. Gr. III n. 6250 p. 902.

Interdum tamen heredes tantum nominantur: « κελεύω τοὺς κληρονόμους μὴ ἀσεβεῖν περὶ τὸ μνῆμα · ἀσεβοῦσι δέ εἰ ἀλλότριον πεμπωσιν' ». C. I. Gr. III n. 6324 p. 943. « ἔχοντες καὶ αὐτοὶ (li-

berti et heredes) δίκαιον τοῦ ταφῆναι ἐν τῷ μνήματι χωρὶς τοῦ ἐπεισενεγκεῖν — — ἕτερον νέκρον — εἰ δὲ μή — ἀποδώσουσι cet ». C. I. Gr. II n. 3384. Cf. II n. 3276 p. 757 etc.

Multa in eos infligenda est modo qui alienos mortuos inferant, modo qui monumentum quomodo cunque offendant, modo qui id ut rem humani iuris vendant cet. Haec multa autem vel fisco est solvenda, vel Pontificum aut Vestalium collegio, vel templo cuidam, quod maxime in honore sit, vel civitati in cuius finibus sepulcrum est. In inscriptionibus graecis (quae tamen ius romanum sunt secutae cf. Huschke « Multa » Cap. IV) illae potissimum quae Smyrnae inventae sunt ad rem nostram faciunt, ex his multa praesertim *Matri deorum Sipylenae* solvenda est. Probe memini apud Ulpianum legisse (Reg. 22. 6) hanc deam inter eos deos esse, quos ex S. C. atque principalibus constitutionibus instituere liceat.

a) in fiscum

C. I. L. T. III P. I n. 1986 (p. 311) = « si qui hoc sepulcrum tentaverit aperire debebit fisco hs. L̄ ».

C. I. L. T. VII n. 292 p. 72 = « si quis in hoc sepulcrum alium mortuum intulerit inferet fiscum dominorum nostrorum HS. ñ — — (deest.

C. I, Gr. III. p. 988 n. 6572 = « εἰ δέ τις ἐκβάλῃ τὴν Μυρταλῆν δώσει τῷ φίσκω δηνάρια βφ » = Qui Myrtalen eiecerit dabit fisco denaria MMD.

Callistratus inter causas e quibus fisco adquiritur recenset « *poenam fisco* ex contractu privato » (D. 49. 14. 1. pr.) non item testamenti ac sepulcrorum poenas. Ni fallor, Callistratus in libro suo quem de iure fisci conscripsit eas recensuerat, sed Tribunianus omisit, quippe quae iam obsoletae viderentur (1).

b) In collegia Pontificum vel Vestalium.

« qui manus intulerit — virginebus Vestalibus solvet poenam HS. N. VXX » Or. 7339 « hoc monumentum si quis vendere voluerit inferet virg. Vest. HS. XX. M. N. aut aerario P. R. » Grut. Thesaur. 861, 13.

(1) Interdum etiam in aerarium multae constituebantur.

Or. 7338 = « quisquis hunc titulum — deasciaverit aut violaverit vendiderit HS MM n. aerario pop. Rom. damnas esto dare ».

Or. 2691 = « Si quis huic mon. post me aliquam controversiam facere voluerit aut de nomine auferre, inferet aerario P. R. HS. V. M. N. »

Or. 5048. I. N. n. 6916. cet.

« si quis hoc monumentum vendere vel donare voluerit vel corpus alienum inferre vellit dabit poenae nomine arkae Pontif. HS. C̄ n. *et ei cui donatum vel venditum fuerit* eadem poena tenebitur » Or 4427.

« qui exterom inducere voluerit poenae nominae inferet arcae Pontificum HS. L. M. N. Grut. Th. 765, 5.

c) « in templum.

« εἰ δέ τις τολμήσει τι τοιοῦτο ποιῆσαι ϑήσει μητρὶ ϑεῶν Σιπυλήνῃ II. 3385. C. I. Gr. « ἐάν τις παρὰ ταῦτα τολμήσῃ ποῆσαι ἀποτείσει μητρὶ ϑεῶν Σιπυλήνῃ δηνάρια διςχείλια πεντακόσια C. I. Gr. II. p. 789 n. 3386.

« εἰ δέ τις ἐπιχειρήσει ἀποτείσει τῷ νάῳ τῷ Σμυρναίων δμνάρια ᾱφ· (MD.) 3289: omnibus templis τοῖς νέοις multa inferenda est ex C. I. Gr. II. n. 3318.

« εἰ δέ τις τολμήσει ἕτερον καταϑέσϑαι δώσει — — τῇ νεωκόρῳ Κυζικηνῶν π. X β, —

d) in civitatem

« quod si qui adversus it fecerint eorum bona pertinere debebunt ad rempublicam Brundisinorum » Or. 4431.

« si quis hanc arcam vendere aut emere aut exacisclaverit (sic) tunc poenae nomine dabit rei publicae Aquileiensi HS. X̄X̄. ñ deletor quartam accipiet ». Or. 7337.

« ἐὰν δέ τις παρὰ ταῦτα ποιήσῃ δώσει προστείμου (i. c. poenae nomine, cf. de his. Curtius Schulgr. §. 421) τῷ ἱερωτάτῳ ταμιείῳ (h. e. fisco) X β, καὶ τῇ πόλει, X γ. C. I. Gr. II. n, 3774. it. 3785 cit.

e) in alia corpora seu universitates:

« si quis eam arcam post mortem eorum aperire voluerit inferat decuria meae * XXV... » C. I, d. III. n. 2107 = decuria intellegenda est collegii centonariorum ac fabrorum ut integram inscr. legenti patet.

« ἀποδώσει τῇ γερουσίᾳ προςτείμου δηνάρια πεντακόσια » C. I. Gr. II. n. 3692.

« δώσει τῇ ἱερᾷ βουλῇ » C. II. n. 3690.

Saepius in inscriptionibus graece exaratis exemplar alterum inscriptionis commemoratur quod sepulcri conditor apud magistratum deposuit. E multis en pauca exempla:

τούτου τοῦ τίτλου ἀπόγραφον ἀπετέϑη εἰς τὸ ἀρχεῖον C. I. Gr. II. 3295. 3292.

τοῦτο ἀπόκειται εἰς τὸ ἀρχεῖον τὸ ἐν Ζμύρνῃ (sic) C. I. Gr. II. 3286.

ταύτης τῆς ἐπιγραφῆς ἐξῴρᾳγισμα ἀπόκειται ἐν τῷ ἱερῷ Καισαρήῳ γενηθὲν ἐν διπλώματι· C. I. Gr. II. n. 3276. p. 757.

Interdum etiam legitur eum qui multam solverit non ideo actione sepulcri violati non teneri. Haec sibi vult inscriptio poetice conscripta C. I. Gr. III. p. 938. n. 6307.

Εἰ δὲ τολμήσει τις τούτῳ συναπτέμεν ἄλλον
θήσει τῷ φίσκῳ τρὶς δύο χειλιάδας·
τόσσας καὶ Ἱόρτῳ καταθήσεται· ἀλλὰ καὶ αὐτῆς
τείσει ἀτασθαλίης βλαψιτάφου κόλασιν

ubi pro αὐτῆς malim αὐτήν legere. « Si quis ausus fuerit alium inferre solvet fisco VI m. n. totidem et Porto, sed et violati sepulcri crimine tenebitur ».

C. I. Gr. II. 3692 = εἰ δέ τις τολμήσει τῷ ταύτης τάφῳ προσελθὼν κεινῆσαι ἢ ὀρύξαι — ἐγκληθήσεται — τομβωρυχίας οὐ μόνον ἀλλὰ καὶ κατασχεθήσεται τῷ ὡριομένῳ προστείμῳ τῷ ταμείῳ cet. » = Si quis huius ad sepulcrum accedens quid amoverit vel effoderit violati sepulcri crimine tenebitur sed et fisco certam poenam solvere debebit cet. »

Item n. 3694 praeter multam « δίκην δ' ὑφέξεις παρανόμως τομβωρυχῶν ».

Nunc est inquirendum quomodo posset privatus homo huiusmodi poenas statuere etiam post mortem suam in perpetuum valituras. Prorsus enim incredibile est omnes hos titulos vana iactare, cum adeo multi sint.

Quae olim de poenae nomine legato cogitata fuerunt, Gaio genuino nobis restituto (Gai. 2, 235), penitus reicienda sunt. Huc accedit plerosque eiusmodi titulos etiam in extraneos poenas minari, qui nihil ex testamento acceperint, ut ecce (Murat. 1426, 5).

ἕτερον δὲ ἐξὸν μὴ εἶνε πτῶμα καταθέσθαι· ὃς ἂν δὲ τολμήσῃ δώσει τοῖς κληρονόμοις μου Χ φ' καὶ τῇ πόλει Χ φ'·

Mommseus autem multitudine inscriptionum id genus permotus putavit legem seu plebiscitum hac de re latum fuisse (Staatsrecht 2, 67). Et sunt quaedam nimirum, ex quibus innui posse videatur eiusmodi legem extitisse. Confer titulum maffeianum (Mus. Veron. 320, 3 cf. Luebbert. Comm. Pont. p. 63) « huic monumento intercedit **lex** ne donatio fiat, quod si quis admiserit, inferet aerario p. R. HS. $\overline{XXX}$ ñ. »

Cui adiugenda est orelliana inscriptio (n. 4379).

« Iobacchus fecit... excipit itus actus aditus... et cetera quae **in lege publica** continentur ».

Sed esset mirandum iuris libros omnes, qui aevum tulerint, de eiusmodi lege, si lata fuisset, conticescere. Quod ad priorem titulum, vox « lex » perinde est accipienda atque « ius », et revera ius obstat, quo minus sepulcrum donetur. Quid autem altera inscriptio sibi velit, vix est ut auguremur; certe ad rem probandam non sufficit.

Rem fortasse Marinius noster acu tegitit (Iscrizioni Albane, p. 75 sq.); qui monuit probabilius iudicem plerumque tanti damnavisse, quanti in titulo erat, ni forte id centum m. ñ pluris esset. L. m. ñ ordinariam fuisse apud Romanos poenam Marinius (l. c. p. 76) ostendit; apud Graecos vero MMD denar. — Recte autem addidit Luebbertus (Comment. Pont. p. 64) praetorem ipsum veri similius hanc poenam in formula inseruisse; id enim fieri in gravioribus casibus solere ex Gaio 2, 224 novimus. Poterat sane iudex minoris quoque damnare, sed condemnationem minuere propter ipsius praetoris auctoritatem plerumque non audebat. Qua re nil aequius esse poterat cum nemo posset sepulcrum violare, quin titulum legeret. Quod autem ad corpora attinet, quibus sepulcri conditor multam inferri vult, id, si verum video, ita intellegendum est, ut, si ii, ad quos ius sepulcri pertineret, actione experiri neglegerent, ea cura ad templum (i. e. ad sacerdotium collegium) ad universitatem quandam vel civitatem cet. spectaret. Ait enim praetor si plures, agere velint, se ei iudicium daturum, *cuius causa iustissima esse videbitur* (D. 47, 12, 3 pr.). Cum autem saepius ex hisce titulis multa fisco inferenda sit, id etiam de multis accipi potest, quae ex mandatis principalibus fisco solvendae erant (cf. e. gr. Cod. 9, 19, 3. eod. 4, 1).

Non igitur necesse est haec ex patrisfamilias iure repetere, sicut Huschkius in opere iam pluries laudato contendit (« Multa » c. IV.). Docet enim antiquitus patrifamilias licuisse in familiam suam quae vellet statuere etiam post suam mortem valitura; et in pari condicione fuisse, qui aliquid ex testamento accepissent: consuetudine autem factum esse, ut eiusmodi poenae adversus extraneos quoque statuerentur et ab his peterentur.

Haec fere de sepulcrorum iure dicenda erant. Et iam est ut piaculum dis inferis ove atra dem, quippe qui in Agathopi illius manes deliquerim, qui in titulo sepulcri sui cavit: « iis omnibus dolus malus abesto et ius civile ». (Grut. 903, 12).

Scribebam Berolini postrid. Id. Iul. ann. p. Ch. n. MDCCCLXXXI.

AMM. PROV. DI TORINO
№ 15658
BIBLIOTECA
115677